Dissertatio inauguralis medica de contusione uteri eiusque effectibus in gravida ... / [Friedrich Wilhelm Drechssler].

Contributors

Drechssler, Friedrich Wilhelm.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1753]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nfjn4f4t

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

20895/P
73776

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

CONTVSIONE VTERI

EIVSQVE

EFFECTIBVS IN GRAVIDA

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. III. MART. A. S. R. CIↃ IↃCCLIII.
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
FRIDERICVS GVILIELMVS DRECHSSLER
NVMBVRGENSIS MISNICVS.

Brüning 1771

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

PRAENOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI MELCHIORI DRECHSSLER

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO,

SEREN. SAXON. DVC. WEISSENFELS. ET QVERFVRTHENS. CONSILIARIO ET ARCHIATRO,

SVMME REVERENDI CAPITVLI ET CIVITATIS NVMBVRGENS.

VT ET

SCHOLAE REGIO-ELECTORALIS PORTENSIS AC PRAEFECTVRAE FREIBVRGENSIS PHYSICO ORDINARIO,

PARENTI OMNI PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV AD VRNAM VSQVE COLENDO DEVENERANDO;

PRO
TANTO A PRIMIS STATIM INCVNABVLIS
AD HOC VSQVE VITAE MOMENTVM
IN SE CVMVLATISSIME COLLATO
AMORE VERE PATERNO,
PRO
SVMMA AC INDEFESSA
IN ADDISCENDA SALVTARI ARTE SIBI PRAESTITA OPERA,
PRO
SINGVLARI AD SALVTEM SVAM EFFICIENDAM
ET PROMOVENDAM CVRA,
PRO
CETERIS DENIQVE OMNIBVS
VERE NON SATIS ENVMERANDIS
MVLTO MINVS AVTEM REMVNERANDIS
BENEFICIORVM GENERIBVS,
QVALEMCVMQVE
HANC INAVGVRALEM DISSERTATIONEM
CEV GRATI ANIMI TESSERAM
CVM ARDENTISSIMIS
PRO TAM
BENIGNI PARENTIS PERPETVA SALVTE
ATQVE
TVM ANIMI NON INTERRVPTA TRANQVILLITATE
TVM CONTINVA CORPORIS INCOLVMITATE
VIRIDIQVE SENECTA CONCEPTIS VOTIS
MEMORI PIAQVE MENTE
DICAT ET OFFERT

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS
FRIDERICVS GVILIELMVS DRECHSSLER.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CONTVSIONE VTERI

EIVSQVE EFFECTIBVS IN GRAVIDA.

PROOEMIVM.

Corpus humanum, ſingulari plane artificis ſapientiſſimi ingenio, ſecundum mechanismi leges, conſtructum, atque ex diverſis valdeque differentis naturae ac indolis partibus conflatum, morbis admodum variis fereque infinitis, poſt primorum parentum lapſum, eſt obnoxium. Nullus enim umquam mortalium gloriari poteſt, ſe omne vitae ſuae curriculum ab adflictio-

nibus morbosis immune transegisse, quamvis alter prae altero mitius graviusve aliquando aegrotaverit. Mares atque foeminae pari utuntur fortuna, & sexus uterque suos patitur manes, licet frequentius graviusve sequior morbis laboret, adeo ut, HELMONTII effato, foeminae morbos duplo patiantur maiores. Sexus equidem nobilior sat saepe graviter adversa premitur valetudine; attamen, testante experientia, certissima in rebus probandis magistra, suffragantibusque celeberrimis & fide dignis medicinae auctoribus *a*), nihilominus adsertum hoc, foeminas prae viris frequentius morbis expositas esse, extra omne dubium est positum. Facile etiam adserti huius patet veritas, si modo utriusque sexus differentiam, ratione habitus corporis atque constitutionis, paulo accuratius considerabimus. Foeminae quippe prae viris multo spongiosiore gaudent corporis textura, vasisque longe exilioribus sunt praeditae, & non modo debiliore prae illis gaudent perspiratione, sed multo etiam citius ἀκμὴν incrementi sui adipiscuntur; hinc plethora, foecundissima morborum mater, indeque huius perpetuus fere

a) Inter alios vid. Ill. b. m. HOFFMANNVS, Med. rat. system. Tom. III. Sect. I. p. m. 9.

fere comes, humorum impuritas, ſuboritur, uberrima adflictionum morboſarum genitrix. Praeter haec vero, inſimul ſyſtema nervoſum multo prae viris debilius, longeque tenerius & ad ſpasmodicos varii generis adfectus facile ſuſcipiendos admodum proclive, obtinuerunt foeminae, imo, quod maximum eſt, peculiari adhuc inſtructae ſunt viſcere, utero ſcilicet, in pelvi ſito, prorſus fere vaſculoſo, nec parum elaſtico. Hic enim ob ſingularem, qua gaudet, ſubſtantiam atque texturam admodum intricatam, non modo ipſe innumera, eaque graviſſima experitur mala, verum etiam, ſicut ex polymorphi illius mali hyſterici tyrannide videre licet, ingentes reliquo corpori infert calamitates. Conſtat namque membranis fibrisque nervoſis ac muſculoſis admodum ſenſibilibus, vaſis arterioſis pariter ac venoſis, anaſtomoſibus mirum inter ſe in plexus reticulares intortis, totamque uteri molem ambientibus, & vario ubique flexu perreptantibus. En igitur fontem cauſarum adverſae valetudinis uberrimum! En ſcaturiginem ſymptomatum foecundiſſimam! Unde divus ille Senex, HIPPOCRATES *b*), ſuo iam aevo uterum, ſi non omnium, attamen plurimorum cauſam

b) vid. eiusd. Tom. II. Sect. IV. Cap. de morb. mulier. II.

causam morborum recte appellavit, suisque ad posteritatem transmissis monumentis eleganter prodidit, pathematibus, ex muliebri hoc viscere oriundis, omnes fere ac singulas, cuiuscunque demum conditionis foeminas, virgines pariter ac viro nuptas, pro diversa natura aliarumque circumstantiarum ratione, plus minus graviter frequenterque esse obnoxias. Quae vero licet ita sint, nihilominus tamen, testantibus auctorum observationibus, mulieres utero gerentes longe adhuc saepius graviusque cum varii generis malis, ex utero provenientibus, conflictari debent. Etenim non omnes solum morbos, in matrice fundatos, & ab internis causis subortos, cum virginibus communes habent, verum etiam aliis subinde malis, a sola graviditate pendentibus, seu praegnantibus tantum propriis, vexantur, & insuper quoque propter uterum, magnam in molem expansum, indeque inductam abdominis distensionem & amplitudinem, variis iniuriis externis, ut lapsui, allisionibus & contusionibus, maxime patent, non sine vitae periculo; siquidem, adserente Illustr. BOERHAAVIO *c*), inter periculosissimos gravidarum morbos fluor uterini sanguinis iure habendus

c) vid. eiusd. Aphor. 1703.

bendus eſt, qui a violentis percuſſionibus inferioris partis abdominis facillime excitatur *d*). Quin in ipſum pariter foetum, in utero contentum, haud raro ab externa contuſione maxima redundat noxa, quod dudum iam venerandus noſter Antiſtes, HIPPOCRATES *e*), bene perſpexit atque in hunc modum, pro more ſuo, doctisſime innuit: *Si mulier in ventre habens aegrotarit, aut debilis fuerit, aut onus levarit, aut percuſſa fuerit, &c. foetum corrumpet.* Et alibi rurſus *f*), *mutilum*, inquit, *in utero puerum ſentio aut contuſum, ex matris uterum geſtantis plaga, aut eiusdem lapſu, aut alio quopiam violento adfectu matri accidente; qua vero parte mater plagas acceperit, ea puer mutilatur.* Nolo iam plures adhuc alios effectus, a violentiis externis, abdomini gravidarum inflictis, oriundos, in medium proferre, ſed iam in elaborando qualicunque profectuum meorum ſpecimine occupatus, eos tantum accuratiori paulo examini pro viribus ſubiiciam, quos ſpeciatim a *gravi abdominis praegnantis contuſione* ſubnatos memini. Atque ſeligendo huic themati anſam praebuit caſus quidam notatu digniſſimus,

d) ibid. Aphor. 1306. *e*) Tom. II. Cap. de morb. mulier. §. XLI.
f) Tom. I. Sect. III. Cap. de Genitur. in fine §. VIII.

quem parenti meo honoratiſſimo, Practico apud Numburgenſes ſatis celebri, debeo. Ab Academia enim domum revocatus, quum eundem per integrum, & quod excurrit, biennium, in addiſcenda praxi clinica ducem haberem fideliſſimum dexterrimumque, atque hac occaſione ephemerides ipſius practicas, magni momenti caſibus tam clinicis, quam forenſibus, & ex ſectionibus quoque cadaverum accurate collectis refertas, diligenter perluſtrarem, incidebam, qua neſcio felicitate, in praeſentem caſum, qui de vehementi uteri in gravida contuſione, indeque facta eiusdem inflammatione & ſphaceloſa reſolutione agit, quemque nunc B. L. offero, & eo potiſſimum fine fundamenti loco huic tractationi ſubſterno, ut ipſius intuitu noxios illos effectus, qui a contuſione, utero illata, oriri poſſunt, conſiderare & pro viribus explicare valeam. DEVS autem immortalis benigniſſimusque, quem tamquam ſummum Archiatrum, rerumque omnium ſalubrium conditorem omnipotentem, pia ac devotiſſima mente veneror, ſecundet conatus meos, faxitque, ut omnia in ſui ſanctiſſimi nominis gloriam, meumque ac aegrotantium emolumentum cedant atque ſuccedant feliciter!

CASVS.

CASVS.

Foemina quaedam rustica, utero gerens, in pago quodam haud procul Numburgo distante habitans, querebatur circa ultimum gestationis tempus, per integras duas hebdomades, de doloribus abdominis magnis, anxiis, vehementibus, qui, variis licet, interne & externe adhibitis remediis domesticis, nihilominus eodem perserverabant gradu, & accedente simul laborioso & inani partus conatu, tres ante obitum dies tanta saeviebant vehementia, ut demum aegrota, comiseratione vere digna, foetu adhuc remanente, vitam cum morte commutaret. Matrona nobilis atque eiusdem loci haereditaria, singulari misericordia commota, sicut de auxilio atque levamine huic miserae, dum adhuc vivebat, ferendo, valde erat sollicita, ita etiam post eius obitum, causam immanium horum cruciatuum scire cupida, dilectissimum parentem meum requirebat, qui causam mirandi huius status inquireret atque detegeret. Hic cum Chirurgo accedens, mediante sectione abdomen, mali sedem, sedulo aperiri curavit. Hoc aperto, en rarum & admiratione dignum spectaculum! foetus quippe denudatus uteroque privatus adparebat. Pusillus hic, masculini sexus, omnino perfectus habitusque carnosi, decumbebat transversim capite dextrorsum in regione inguinali dextri lateris, parte uteri admodum extensa cinctus.

Brachium sinistrum iacebat super thorace, dextrum vero, funiculus umbilicalis pedesque utrique, in pelvi in situ ad exclusionem naturali haerebant. Caput erat obtortum, hinc collum extensum valdeque rubicundum adparebat. Integumenta capitis subnigricantis erant coloris: suturae cranii plus iusto distentae & ab invicem ex parte separatae conspiciebantur, totumque corpus insignem iam contraxerat putredinem, adeo ut epidermis a cute facili separari posset negotio. Foetu exemto, uterus sub eodem in regione dorsi collapsus, & in medio abdomen respiciente transversim dilaceratus, circa latus vero inferius in regione dorsi parum adhuc cum interiore parte cohaerens reperiebatur. Fundus eiusdem valde crassus, sed integer atque illaesus, cervix vero, seu pars inferior, tenuioris erat substantiae. Omnis uteri moles erat inflammata, nigricantis coloris, sanguineque grumoso repleta, ipsiusque extremitates nil nisi vulnera gangraenosa & sphacelata referebant. Matricis orificium, eadem fata expertum, adeo dilatatum adparebat, ut commode pugnus intromitti posset. Vagina denique uteri dextrorsum versus os ischium, ubi foetus caput haerebat, admodum extensa, tenuis & rara comparebat. Maritus postea de causa mirifici huius status interrogatus, num forsan casus, vel ictus, aliave quaedam vis externe illata ansam dedisset? respondit, defunctam quatuordecim ante obitum dies, quum primis tenebris domicilium adire voluisset, abdomen impetuose septi columnae, seu antis bicubitalibus rudioribus, nec a fabro lignario complanatis, quibuscum domus, uti rusticis esse solet, cincta erat, impegisse, statimque post aliqualem in infimo ventre sensisse dolorem, indies ingravescentem atque ad obitum usque durantem. En igitur pessimum contusionis utero inflictae effectum!

§. I.

§. I.

Varia quidem, eaque notatu dignissima apud priscos aeque ac recentiores medicinae auctores occurrunt exempla viscerum, a contusione gravissime laesorum, quae ipsa etiam mors subito & momento fere citius excepit. Rarissime tamen fit mentio uteri foeminarum gravidarum, a contusione valde laesi & vulnerati, sed leviter tantum adfecti. Verum enim vero, quod ipse etiam uterus a sola contusione gravissimam reportare possit laesionem, inflammationem, & ex hac demum putridam cum subsequente morte corruptionem, inter reliquos rariores casus, hic, quem modo protuli, ostendit luculentissime. Singulis enim ipsius momentis probe pensitatis, clarissime adparet, uterum a vehementi abdominis versus truncum durum allisione contusionem accepisse, indeque fibrarum vasculorumque uterinorum debilitatem, irritationem & distensionem fuisse inductam, & hinc sanguinem, ad vasa semel debilitata & irritata copiosius adpulsum, non modo stagnasse, verum etiam, ob causas quasdam iuvantes, in minimis capillaribus vasculis stasin concepisse inflammatoriam. Quid vero inde? ob omissam necessariorum remediorum applicationem, debitique regiminis negligentiam, partium inflammatarum gangraena & ipsa necrosis successit, & tam a laesi & irritati foetus calcitratione, motu & tensione versus superiora, quam ab ipsius pondere & pressione versus inferiora, vterus partim inflam-

matus, partim sphacelatus, plane fuit disruptus, rebusque sic se habentibus mors nullo modo potuit averti. Mortis itaque vera causa fuit uteri sphacelosa corruptio, huius autem rursus sanguinis stagnantis & incarcerati putrida dissolutio, ex stasi inflammatoria subnata, quam matricis contusio produxit.

§. II.

Est autem contusio corporis humani per instrumenta obtusa inflicta laesio, qua innumerae venulae, arteriolae & fibrillae nerveae colliduntur & rumpuntur: seu, quod idem fere, contusio nihil aliud est, quam innumerorum minutissimorum ab extra illatorum vulnerum congeries; vid. *Illustr.* HEISTERI *Instit. Chir. cap. de Contusione.* Requiritur ergo ad laesionem eiusmodi infligendam corpus durum, obtusum, quod agendo in corporis humani partes solidas, vel resistendo corporis nostri actioni, effectus iam allegatos, solutionem nimirum continui, destructionem partium iusto ordine cohaerentium, & extravasationem contenti fluidi producat, atque innumera fere alia post se trahat mala atque symptomata.

§. III.

Pro diversa corporis obtusi in humanum corpus actione; vel pro differente huius reactione; pro maiori dein vel minori partium corporis vel externarum solum, vel & internarum laesione, & pro partium denique laesarum, plus vel minus nobilium, conditione ac natura, diversi emergunt contusionum gradus. Et quilibet, prout spero, facile perspiciet, laesiones longe graviores oriri, maiusque simul

mul portendere periculum, ſi externae internaeque partes ſimul ſauciantur, ſique hae ipſae ſunt nobiliores & ad vitam magis neceſſariae. Praeter haec vero, quod admiratione pene dignum eſt, contuſiones nonnullae ita ſunt comparatae, ut, integris partibus externis *g*), internas tantum vehementer vulnerent, ideoque omnino inter graviſſimas contuſionum ſpecies numerari debeant: ſiquidem laeſis maxime viſceribus ſanguineis, ob vaſorum maiorum, quibus praedita ſunt, rupturam, atque hinc evenientem haemorrhagiam in cavitates enormem, aut plane nonnumquam lethalem, vel ob nimiam ſaltim vaſorum extenſionem viſcerisque deſtructionem, incurabilia plane, vel curatu difficillima emergunt pathemata, tum quia raro externis remediis ſufficientem concedunt acceſſum, tum quia gravis eiusmodi interna laeſio ſaepe tam abſcondita latet, ut vix ac ne vix quidem ſatis poſſit diiudicari.

§. IV.

Quod a contuſione externa partes corporis internae pariter ac externae graviſſime ſaepe vulnerentur, ut cita etiam mors interdum ſequatur; quod porro interiora viſcera, nullis violentiae illatae ſignis extrinſecus comparentibus, contundi & ad necem usque ſauciari poſſint, crebriores auctorum fide digniſſimorum *h*) obſervationes luculenter admodum decla-

g) Vid. HEISTERI Inſt. Chir. P. I. Lib. I. Cap. XV. §. 2. it. BOHNIVS de Vulnerum inſpect. p. m. 12. Illuſtr. HOFFMANNI Med. Conſult. Part. VIII. Dec. I. Caſ. V. p. m. 32.

h) Evoluatur inter alios HEISTERVS loc. cit. §. VI. a. & Illuſtr. HOFFMANNVS Med. Conſult. Part. IV. p. m. 215.

declarant, quibus satis superque edocemur, sectiones hominum fortiter percussorum saepe post mortem supervacaneas fuisse habitas, quae tamen postea institutae funestam interiorum partium laesionem dilucide ostenderunt. Et quid multa? Nonne ipse casus noster manifesto comprobat, uterum ipsumque foetum a vi externa maxime fuisse adfectum & prorsus laceratum, ne levissimo tamen externo percussionis signo comparente, quod praesentiam internae laesionis satis indicasset, nisi alia sat evidentia eiusdem indicia adfuissent.

§. V.

Si quaeris, qui fiat, ut, licet diversae corporis partes externae eadem percutiantur vehementia, in quibusdam tantum livor & sugillatio, in aliis contra nulla appareat? explicatu quidem arduum & difficile primo intuitu videtur: At enim vero, si rem paulo acutiori rimamur scrutinio, observamus, eas solum partes externas, a corpore laedente tactas, non semper ecchymosin offerre, quae neque copiosis, neque adeo magnis praeditae sunt vasis sanguiferis, vel in quibus vasa paulo profundius sita deprehenduntur. Deinde, tum quoque temporis non adeo conspicua fit sugillatio, si partes magis sunt tendinosae ac membranaceae, vel ubi copiosa pinguedo, multis magnisque vasis sanguineis destituta, partibus carnosis incumbens reperitur. Et licet sanguis ex ruptis a contusione vasis intus exeat atque stagnet, saepe tamen vel nimis parcus est, vel profunde nimis cruor extravasatus haeret, atque integumenta impediunt,

quo

quo minus livor, partibus internis valde ſauciatis, externe adparere cernique queat.

§. VI.

Praeter haec vero, alia quoque ſubeſt ratio, cur ſaepe viſcera, ſine charactere externo, per violentiam graviorem, contundendo illatam, enormiter laedi poſſint. Etenim ſi percuſſio tali corporis regioni infligitur, ubi cuti immediate ſubiacet viſcus quoddam muſculoſum & vaſculoſum, copioſis humoribus turgidum, quod actioni externae aequali vi reſiſtit, nulla tunc facile oriri poterit ſugillatio externe conſpicua. Reactio namque viſceris non fit immediate in corpus ab extra agens, ſed in partes proxime illi adiacentes; & in abdominis quidem regione, ſi contuſio a plaga antica fit, in interiorem cutis ſuperficiem, quae ob tenuem, qua cingitur, membranam, non tam firma eſt, quam externa ſuperior; & in muſculos abdominales, copioſo ſanguine turgidos. His autem non ſolum inſignis inducitur debilitas, ſed ipſa quoque vaſa poſſunt disrumpi, ut adeo ſanguis verſus haec loca irritata, debilitata, vel prorſus disrupta, copioſe ruat, ſicque in externo habitu deficiens ſtagnare nequeat. Deinceps, ſicut ſuppoſuimus, ipſa quoque viſcera ſubiacentia, enormiter laeſa ac debilitata, ſanguinem a partibus externis copioſius ad ſe alliciunt, vel eundem ex disruptis ipſorum vaſis in cavitates plane effundunt; quibus inſuper accedit, quod ſub improviſo eiusmodi caſu numquam fere non terror ſatis gravis & vehemens contingat, ſub quo humores, ob ſpaſti-

cam habitus corporis externi stricturam, haud secus, ac in horripilatione fieri consuevit, versus interiora urgentur, sicque ibidem copiosius accumulantur, ut adeo in externo corporis cortice non tam facile stagnare, nec livorem producere possint.

§. VII.

Porro contusiones, corpori nostro inflictae, pro vario vehementiae suae gradu, atque pro diversae partium, quae laesae sunt, conditione ac natura, varios producunt effectus, diversumque sortiuntur eventum. Saepe enim contusionem subitanea excipit mors *i*), contusis nimirum atque disruptis vasis in partibus ad vitam absolute necessariis, cerebro *k*) puta pulmonibusque *l*); vel si alia viscera sanguinea *m*) adeo sunt sauciata, ut haemorrhagia summa & lethalis sequatur. Saepe etiam oriuntur a contusione stases sanguinis *n*) atque ipsae inflammationes *o*), quae cum funestis effectibus suis praesertim in mollioribus multisque vasis sanguiferis & arterioso-lymphaticis eveniunt partibus. Nam raro per exigua modo vulnera humorum inter partium substantiam fit extravasatio, quae, pro maiori vel minori cruoris in carne collecti copia, varia rursus infert consectaria. Frequenter etiam oriuntur abscessus atque

i) Vid. HEISTERI Inst. Chir. P. I. Lib. I. Cap. XV. §. II.
k) Ibid. Cap. XII. §. I. RVYSCHII Obs. XLVII.
l) HEISTERVS loc. cit. Cap. XV. §. VI.
m) HEISTERVS ibid. ubi varia exempla a se ipso observata fuisse refert. BOHNIVS de Offic. Med. dupl. Lib. 2. Cap. 4.
n) BOERHAAVE Aphor. 375.
o) Idem Aphor. 327.

atque ulcera *p*), vel humor extravasatus in corruptionem abit gangraenosam *q*) ipsumque excitat sphacelum. Aliquando vehemens a contusione exsurgit spasmus, vel insignis quibusdam partibus inducitur debilitas, ut humorum postea stagnatio, huiusque effectus sequantur. Imo tandem quoque scirrhus *r*) multaque alia a contusione progignuntur mala. Quum vero generalem contusionum descriptionem exhibere instituti ratio non permittat, sicco hanc ipsam transimus pede, paulo altius investigaturi uteri substantiam eiusque in statu graviditatis constitutionem, ac insimul probaturi, quod uterus in tali statu non solum contusionem pati, graviterque laedi queat; verum etiam, quod aeque ac in aliis eiusdem texturae visceribus, saepe gravissima, & cum vitae periculo coniuncta sequi possint symptomata.

§. VIII.

Vterus, organon illud foeminino sexui proprium, foetusque conceptioni ac nutritioni speciatim dicatum, & primum omnium mortalium domicilium, est pars musculoso-vasculosa, in- & externe membranis cincta, quae extra graviditatem varios quidem perpeti potest morbos, ab internis causis pendentes, ob situm autem profundiorem magisque absconditum non adeo facile ab externis laedi & adfici solet iniuriis, quam in statu graviditatis. Facta enim conceptione embryonem continet, cuius mem-

p) HEISTERVS loc. cit. Cap. XV. §. IV. & Lib. V. Cap. I. §. V.
q) Ibid. Lib. IV. Cap. XIV. §. III. BOERHAAVE Aphor. 424.
r) HEISTERVS Lib. IV. Cap. XVI. §. II.

branae, eundem ambientes, mediante placenta uterina cum utero concrescunt, substantia eius antea compacta ac firma fit spongiosa & sinuosa, ac parvus antea uterus a foetu sensim crescente tantam in molem expanditur, ut, in isthmo angustae pelvis, quam occupat, amplius commorari nequiens, altius paulatim in epigastrium adscendere cogatur. Hic universum fere intestinorum volumen contegit, atque ossibus simul coxae incumbens, partes abdomen constituentes, quas immediate tangit, valde extendit. Quodsi igitur violentia abdomini infligitur, non potest fieri, quin uterus simul, tam quoad externam sui superficiem, a corpore contusionem infligente, quam quoad internam partem, a foetu, impetui externo resistente, laesionem patiatur.

§. IX.

Sed videamus nunc, quare & quomodo uterus, qui extra graviditatem substantiam habet satis firmam atque compactam, a foetu sensim in maiorem molem, & quod mirum, sine crassitiei decremento, expansus, substantiam contrahat spongiosam, sinuosam, multisque interstitiis distinctam. Puto autem, id ipsum ex sequentibus fieri rationibus. Et primo quidem, quia orificium uteri post conceptionem clausum impedire solet, quo minus amplius consueta sanguinis menstrui succedat excretio. Deinde embryo, primis gestationis mensibus adhuc exiguus, in sui nutrimentum non omnem absumit sanguinem, qui ideo in uteri viscere copiosius accumulatur, eiusque vasa distendit. Posthaec uterus a crescen-

crescente foetu simul expanditur, hinc fibrae eius musculosae, in statu naturali satis crassae, in longitudinem exporrectae, crassitiem deponunt, subtiliores-que evadunt. Hae vero, licet rariores debiliores-que fiant, nihilominus tamen, quum vasa sanguifera, confertim hic conspicua, tractuque admodum tortuoso in semet ipsa quasi implicita, ab humoribus copiose adfluentibus nimis iusto replentur, eorumque parietes valde distenduntur & in sinus quasi dilatantur, crassities sive substantia uteri nullatenus diminuitur, sed spongiosa fit, & aeque crassa, ac extra graviditatem, manet.

§. X.

Quod uterus, inprimis gravidarum, qui ultimis maxime gestationis mensibus, ob magnam molem suam, in epigastrium adscendit, a violentia externa, pariter ac alia viscera, contusionem pati, graviterque ab illa sauciari possit, nullus facile in dubium vocabit, qui modo perpendit, quod, suffragantibus auctorum *s*) codicibus, uterus etiam non gravidus & in abdomine magis absconditus, a contusione externa laedi possit. Hoc autem si fieri potest, eo sane facilius in statu graviditatis uterus, a foetu expansus, a tactu violento adfici poterit; siquidem ille ipse, in epigastrio latitans, non nisi ab integumentis abdominis, levibus ac parum resistentibus, obtegitur, quae instar tympani admodum extensa, longe tum

s) Inter alios vid. Illustr. HOFFMANNVS Medic. rat. system. Tom. IV. Sect. II. de uteri inflammat. & ARETAEVS Lib. XLIV. de causis inflammat. uteri.

magis, quam in statu citra extensionem solito, attenuata esse solent, ideoque vim ab extra illatam arcere, uterumque a contusione ac inde pendente laesione immunem reddere possunt.

§. XI.

Quod vero uterus, in graviditate sic constitutus, non modo contusionem facile perpeti, sed similes quoque effectus, qui aliis visceribus ab eadem causa contingunt, experiri queat, pluribus nunc placet comprobare, simul vero paucis ostendere, quod contusio quidem causa proxima staseos sanguinis inflammatoriae in utero evadere, ipsumque hoc viscus locum primario adfectum constituere possit, ast non adeo crebro, uti vulgo quidem putatur.

§. XII.

Uterus, cuius substantia est spongiosa & sinuosa, atque ex fibris valde expansis constans, est pars mollis. Molle corpus dicitur, quod paucum habet punctorum contactum, quod tactui facile cedit, atque a vi leviori mutari potest *t*). De utero itaque, qua corpore molli, haec omnia praedicari posse, certissimum est.

§. XIII.

Corpus molle, quod paucum habet punctorum contactum, parvam habet cohaesionem *u*). Actio in corpus tale, si maior est, quam cohaesio partium totum constituentium, huius continui solutionem producit. Actio in uterum, cuius partes parum cohae-

t) Vid. Illustr. HAMBERGERI Element. Physic. §. CXCVII.
u) Ibid. §. CXLVII. num. 2.

cohaerent (§. praeced.), ſi maior eſt, quam horum cohaeſio, eaedem disiunguntur. Ergo etiam levior contuſionis gradus talem producere valet effectum, atque maiorem neceſſario maior. Uterus, ceu viſcus ſanguineum, i. e. ceu pars ex meris fere vaſis ſanguiferis conflata, magnam admodum, in ſtatu graviditatis,continet humorum quantitatem. Quodſi igitur ipſius partes a ſe invicem ſunt ſeiunctae, humores, nullam amplius in locis disruptis invenientes reſiſtentiam, extra ruunt atque in cavitates colliguntur. Quo maiora itaque & quo copioſiora per contuſionem utero inflicta ſunt vulnera, eo quoque maior erit cruoris extravaſatio, hinc eo maior humorum a corde & cerebro detractio *x*). Varios autem tunc conſequi effectus, citamque mortem non raro ſupervenire, loquuntur obſervationes medicae passim.

§. XIV.

Contuſiones, partibus corporis noſtri illatae, movent inflammationes *y*). Inflammatio ſemper praeſupponit ſanguinis rubicundi in ipſis vaſis ſtaſin. Staſis ſanguinis eſt plenaria eius quies, vel in ipſis arteriarum finibus, vel in vaſis lateralibus arterioſo-lymphaticis, ſecundum naturam rubicundum ſanguinem non vehentibus. In ipſis arteriarum finibus

x) Vid. HEISTERI Inſtit. Chir. P. I. L. I. Cap. I. §. VIII. & XVII. & Illuſtr. HOFFMANNI Med. rat. ſyſtem. Tom. II. Cap. IV. §. XXV. & Scholion. conf. Cap. I. §. IX. cum Scholio.

y) Conf. HEISTERVS loc. cit. §. IV. & Cap. de Phlegmone p. m. 269. item SENNERTVS Lib. IV. Sect. I. Cap. XIII. & RIVERIVS Tom. II. Lib. XV. Cap. III.

nibus sanguis stasin concipere potest, si venae, arteriis continuae, sunt obstructae, compressae spasmove constrictae, aut alio modo ita dispositae, ut sanguini transitus per eas denegetur. Vascula autem minima arterioso-lymphatica staseos sedem constituunt, quoties illa sanguis rubicundus intrat, atque ire & redire nescius, inibi quiescit. Quod sane eo facilius accidit, quia angusti hi tubuli, ob diametrum suum, diametro globulorum sanguineorum minorem, secundum naturam nullos globulos rubicundos, sed humorem tantum pellucidum lymphaticum, qui vasculorum capacitati respondet, vehere solent. Sanguinis denique in haec vascula introitus adiuvatur, si ea vel admodum sunt debilitata, ipsorumque oscula ita ampliata & dilatata, ut sponte sanguineos admittant globulos; vel si sanguis, vehementer pressus, haec ipsa vasa dilatat, intraque illa ita dilatata impetuosius impellitur.

§. XV.

Ad hos vero effectus producendos variae concurrunt causae, vario modo agentes, inter quas omnino non ultimum sibi vindicant locum ipsae *contusiones*. Sub his enim humores premuntur, fibrillae crispantur, vasa sanguifera comprimuntur, atque eodem, quo parti vis infertur, momento, vascula lymphatica, valde subtilia atque vasis sanguinem vehentibus longe teneriora, debilitantur, dilatantur, destruuntur, ut cruor versus omnes plagas pressus, in illa, ceu loca minus resistentia, intrare necessario debeat. Semper enim eo facilius eoque citius hoc evenire potest, quo mollior est pars, atque quo minor

nor eiusdem, in quam actio fit, resistentia, vel quo maior corporis agentis est impetus: Atque hoc ipsum quotidiana docet & confirmat experientia; siquidem inflammationes, licet in omnibus fere corporis partibus ac regionibus contingere possint & revera contingant, nullibi tamen frequentius, quam in mollioribus & parum resistentibus partibus, adipiosis puta, occurrunt.

§. XVI.

Licet autem inflammationes, sanguinem in stasin prolapsum & incarceratum pro causa agnoscentes, in partibus, ob resistentiam parvam, mollioribus, facilius, difficilius autem in partibus, ob maiorem cohaesionem, compactioribus, sub iisdem nimirum causis iisdemque circumstantiis, oboriri possint; frequenti tamen observatione docemur, quod saepius crebriusque a contusione praegressa occurrant in visceribus, quorum parenchyma paulo firmioris est substantiae, ut lien & hepar, quam in utero gravido, cuius substantia est spongiosa, sinuosa, parumque cohaerens & mollis (§. XII.). Rationes huius effectus in ipsa viscerum structura quaerendas esse arbitramur. Et quidem, quoad inflammationem viscerum compactiorum, deprehendimus, quod eorundem parenchyma sit conflatum ex vasis sanguiferis, quorum parietes constant ex membranis nervosis & musculosis, atque copiosissimis eiusdem naturae vasculis lymphaticis, nec non ex fibris musculosis, elasticis, arcte admodum cohaerentibus. Fibrae hae musculosae vasaque ipsa sanguifera, a vi externa illata, spastice sese contrahunt, vasa lateralia arteriosolympha-

lymphatica, particulas sanguinis rubicundas non vehentia, a vi externa vel plane dehiscunt, vel ita disponuntur, ut sanguini ab ictu partim presso, partim vero vasis sanguiferis sese constringentibus sanguinemque versus alia loca prementibus, amplius resistere nequeant. Vasa enim eiusmodi lateralia seu lymphatica copiose hic reperiuntur, & substantia horum viscerum compacta impedit, quo minus vasa sanguinem continentia statim post contusionem expandi aut disrumpi queant, ut adeo sanguis in ductus seroso-lymphaticos intret, ibique exitu praeclusus stasin concipiat, quam deinde, ceu comes indivulsus, inflammatio sequitur.

§. XVII.

In utero, viscere quidem pariter vasculoso & musculoso, sed cuius substantia in statu graviditatis non adeo firma, sed magis spongiosa, sinuosa & mollis, ultraque elasticitatis fere sphaeram extensa est, non tam facile ab externa violentia, eidem illata, stasis inflammatoria oriri potest; cuius phaenomeni rationes ex huius visceris textura ac substantia perinde sunt petendae, nobisque videntur sequentes: Uterus nondum praegnans admodum exiguus & compactus, foecundatus autem magnam in molem expansus, vim suam elasticam quadantenus amittit, atque hinc neque tam facile, nec tam vehementer spastice sese contrahere potest, maxime cum ipsius substantia spongiosa parvam habeat resistentiam. Deinde vasa uteri non modo per se iam in gravidis satis sunt distenta, sed amplius quoque diduci possunt, ut

ideo

ideo humoribus, deficiente praesertim constrictione, adhuc sufficientem concedant transitum: inprimis cum insuper simul accedat, quod pauciora adsint vasa lymphatica. Haec omnia qui probe secum aestimat, lubenter, sicut spero, concedet, ob defectum sufficientis elateris, indeque pendentis spasmi, vasa constringentis sanguinemque in minima vascula urgentis; ob substantiam sinuosam & spongiosam promtius cedentem; ob vasa arteriosa paulo maiora, maiorem dilatationem admittentia, & ob exiguum denique canalium arterioso-lymphaticorum numerum, nullam facile particularum rubicundarum stasin, adeoque nec inflammationem, in utero gravido oriri posse. Hinc etiam penes auctores, maxime recentiores, rarissima inflammationis uteri, in statu gravido ab extra contusi, occurrit mentio, dubio procul, quia raro exstitit, vel quia eam clinici non observarunt, sed varios potius a tali causa in utero praegnante ortos adfectus & morbos diuturnos, plus minus periculosos, hinc inde annotarunt.

§. XVIII.

Quum vero uterus, foetu repletus, a contusione externa conquassatus, ob substantiam suam non tam pronus sit ad inflammationem subeundam, nihilominus tamen, quamvis oppido raro, in hoc eodem statu, post perpessam contusionem aliquando solet stasin concipere atque inflammari. Id quod vero tum potissimum accidit, atque eo facilius contingit, quo plures concurrunt causae & circumstantiae, quae vario modo, pro sua varietate, ad in-

flammationem provocandam, sustentandam & adaugendam conferunt. Atque nos quidem credimus, quod uterus, si quam patiatur a contusione inflammationem, frequentius per consensum, quam idiothice z), sive ita inflammetur, ut sedem constituat inflammationis primario adfectam. Hoc ipsum tamen tali ratione potest contingere, si quando uteri fibrae musculosae una cum vasis admodum crassae, robustae & ad resistendum idoneae, in quibusdam locis sese contrahunt, sanguinemque in vascula minima ob spasmum propellunt; vel si humores adsunt copiosi, impuri, crassi, ad stagnandum proclives; si tempestas simul velificatur sicca, calida, aestuans, vel si externa perverse adplicantur acria & irritantia; interna autem adsumuntur valde spirituosa, uterina, ebullitionem inducentia; vel si alia methodus minus conveniens adhibetur, decens vero summeque necessaria intermittitur.

§. XIX.

Dein quoque ideo uterus ipse, seu eius vascula minima & canales lymphatici angustissimi fereque capillares, sanguineae staseos ac inflammationis sedem & domicilium primario adfectum nonnumquam constituere valent. Vascula quippe illa, quae intra vasorum membranas decurrunt, ipsaque musculo-

z) Quamvis inflammationis, a contusione in utero gravido exortae, casus quidam ab auctoribus hinc inde describantur, quaestio tamen incidit, an haec violentia proximam semper constituat staseos sanguineae causam, an, quod saepius fieri credo, procatarcticam?

ſculoſarum fibrarum interſtitia perreptant, & per quae his partibus ſuccus nutritius advehitur, ſi a contuſione praegreſſa admodum laeſa ſunt atque debilitata, eorumque oſcula magis, quam par eſt, ampliata ſunt, adeoque hiant, ut ſanguini, ingreſſum forſan tentanti, introitum denegare nequeant, maxime ſi a foetu irritante, calcitrante, valdeque ſe movente, humores ad copioſiorem affluxum invitantur, vaſa ſanguifera comprimuntur, ſanguis ipſe premitur, atque preſſus, ob minorem, quam invenit, reſiſtentiam, facili negotio in haec vaſcula urgetur, & in ſtaſin ruit inflammatoriam. Aſt tunc non contuſio, ſed foetus irritans cauſam inflammationis conſtituet.

§. XX.

At vero, uterus etiam, & quidem frequentius, ob arctiſſimum cum aliis partibus nexum, ſive per conſenſum, inflammatione corripi poteſt, ſi nimirum placenta uterina, ipſius fundo vel parti anteriora reſpicienti adnexa, partim a vi externa, partim vero ab embryone ſolum reagente, ita comprimitur, contunditur atque adficitur, ut in ea ſtaſis ſanguinis oboriatur. Quando enim placenta, ex meris vaſculis & fibris muſculoſis conſtans, non vero aeque, ac uterus, ſpongioſa & ſinuoſa, ab irritatione qualicunque ad contractionem maiorem exſtimulatur, ſanguinem in vaſcula minima cogit, vel ſanguis in anguſtiſſimis arteriarum finibus, ob copioſum adfluxum atque impeditum per venas regreſſum, ſtaſin concipere poteſt inflammatoriam. Deinde, quum placenta ſatis arcte cum utero cohaereat, eiusque

vasa cum vasculis uterinis continuum quasi constituant canalem, fieri omnino potest, ut si illa inflammata fuerit, inflammatio postea ad uterum usque progrediatur, sicque hic simili inquinetur labe: Quodsi enim sanguinis per hepar illud uterinum transitus est turbatus ac pene interceptus, debet sane in ipsius uteri vasis, quae cum vasis placentae obstructis & inflammatis cohaerent, simul stagnare, & quidem eo magis faciliusque, quo maior est humorum ad loca inflammata & irritata adfluxus, quo uberior horum copia, & quo viscidior tenaciorque & a statu naturali recedens est crasis.

§. XXI.

Praeter haec vero, uterus similiter potest sympathice inflammari, si quando aliae iuxta positae partes, cum utero continuae, vel huic etiam contiguae, a contusione stasin contrahunt inflammatoriam, & sic premendo, irritando, extendendo, comprimendo, vel alio modo sanguinis cursum per vasa uteri minima turbant, remorantur, intercipiunt, sistunt; vel uberiorem humorum versus hoc viscus adfluxum inuitant; vel si uterus ipse, propter contusionem debilitatus, vel ob aliam quandam labem forsan acceptam impotens redditus, debite & proportionate resistere, hasque causas removere ac vincere nequit. Tunc autem contusio causa inflammationis uteri proxima non est, neque etiam hic sedem eius constituit primariam.

§. XXIII.

Quo rarior vero est inflammationis in utero gravi-

gravidae, a contusione externe illata, genesis, eo uberior & frequentior est morborum varii generis chronicorum, qui illam sequuntur, proventus. Vel enim vascula quaedam minima, laxe cohaerentia, atque rupturae iam fere proxima, rumpuntur, quae disrupta plorant cruorem plus vel minus copiosum, qui intra matricis substantiam effusus, si neque discutitur, neque iterum resorbetur, stagnando in pus, si lympha accedit blanda, convertitur, atque ulcera *a*) absceſſumve movet; vel si in loco hoc clauso pus diu fuit relictum, parte tenuiori per evaporationem ablata, absorpta atque dissipata, crassior intus manet portio, atque indurescens, tumores utplurimum creat duros scirrhosos; vel si humores accedunt impuri, acres, multisque sordibus scatentes, ibidem resolvitur, acrimoniam contrahit, in putredinem abit, vicina sensim inficit, arrodit, consumit & cancrum aliaque mali moris ulcera producit.

§. XXIII.

Porro quoque inter effectus, contusionem utero inflictam consequentes, referri meretur humorum in vasis antea iam valde expansis, sicque laxe cohaerentibus, stagnatio. Corporis enim robur atque resistendi vis pendet a debita fibrarum, totum constituentium, cohaesione. Imminutae fibrarum cohaesionis causa inter alias quoque esse poterit nimia earum distractio, quam producere valet contusio. Fibrae autem distractae atque adeo extensae, ut

a) Vid. MVSITANVS Cap. X. p. m. 450. SENNERTVS Lib. IV. Sect. I. Cap. VIII. RIVERIVS Tom. II. Lib. XV. Cap. VIII.

ut rupturae proximae sint, debiliores evadunt, adeoque corpori in ipsas agenti debite resistere nequeunt. Quae vero cum ita sint, vasa sanguifera, ex eiusmodi fibris contexta & ad resistendum inepta, maiorem, quam par est, sanguinis quantitatem admittunt, eandem ulterius propellere nequeunt, ut ideo humorum stagnatio, vasorum maior dilatatio & expansio, viscerisque sic constituti infarctus, atque aliae ab his pendentes calamitates citato, ut aiunt, pede sequantur.

§. XXIV.

Neque infrequens est *scirrhi uteri* ex eiusdem contusione genesis. Sanguis enim, in minoribus uteri vasculis eorumque finibus ac extremitatibus stagnans, successu temporis spissitudinem contrahit atque indurescit, ut parva, dura & indolentia exsurgant tubercula; quod eo facilius eoque citius contingere potest, quo crassiore, viscidiore atque glutinosiore foeminae gaudent sanguine. Sanguinis vero stagnantis spissitudo atque induratio absque inflammatione etiam solet accidere; hinc scirrhus *b*) sine illa praegressa progigni potest. Neque scirrhus in glandulis solum generatur, ibique semper sedem habet, sed in aliis quoque partibus atque visceribus vasculosis *c*), licet rarius, suboritur. Consequentia vero scirrhi, in maxime nobili hoc viscere, qualia sint, & quam gravia post se trahant atque iuncta habeant symptomata, res inter Medicos clara est atque testata.

§. XXV.

b) HEISTERVS P. I. Lib. IV. Cap. XVI. §. II.
c) Ibid.

§. XXV.

Non vero ſolus uterus, verum etiam ipſe foetus, quin hic ſaepe gravius, a contuſione vulnerari, aut plane interfici poteſt. Si enim uterus, foetus domicilium, graviter concutitur, fieri aliter vix poteſt, quin in foetum ipſum ſimiliter, quem ille geſtando fovet arcteque cingit, ingens damnum redundet, ita prorſus, ut hic vel plane enecetur adhuc incluſus, vel tamen, licet vivus excludatur, ad continuandam vitam reddatur ineptus, aut ad minimum labem quandam, per omne vitae curriculum inhaerentem, retineat. Ob tenerrimam enim, qua gaudet, texturam, ſummamque fibrarum mollitiem, quam facillime, a paulo leviori etiam tactu, puſillum eiusmodi corpus deſtrui, partes ipſius laxe cohaerentes a ſe invicem ſeparari, oſſeae autem, quae pene adhuc cartilagineae ſunt, intro premi, ſicque ipſa capitis & thoracis contenta aliaque adeo comprimi poſſunt, ut mors inde ex neceſſitate conſequi, vel laeſione non tam gravi exiſtente, prava ſaltim corporis conſtitutio emergere debeat. Et quidem foetus eam ob cauſam magis faciliusque, ac ipſe uterus, laeſionem pati poteſt, quia oſſeae eiusdem partes, maiorem cohaeſionem habentes, ſeu duriores, magis quam uteri viſcus, externae actioni reſiſtunt, quae ideo in tenellum maior eſſe ſolet, quam in uterum ipſum. Et licet aquis innatans fluctuet in matricis cavo, & ab uteri parietibus ipſisque abdominis integumentis obtegatur & muniatur, haec tamen ad vim arcendam, actionem infringendam foetumque a laeſione tuendum, minime ſufficiunt.

§. XXVI.

Abortum denique, vel *praematuram foetus exclusionem*, a contusione abdomini inflicta saepissime oriri & promoveri, vel lippis tonsoribusque notum est, & creberrimis auctorum observationibus confirmatur. Neque etiam mirum, quod contusio, huic visceri inflicta, talem praestet effectum. Abortus enim, vel praecocis foetus exclusionis *causam immediatam* seu *proximam* perquirentes, observamus, eam in placentae uterinae violenta ab utero separatione, per spasmum excitata, praecipue esse repositam. Atque ipsa haec placentae avulsio spasmodicam postea uteri constrictionem, expulsionis foetus causam, tamquam effectum producere, vel uteri spasmum, antea iam praesentem, adaugere valet. Si enim uterus, a spasmo, per qualemcumque causam suscitato, & quidem in latere placentae opposito vigente, contrahitur, facili fieri potest negotio, ut fibrarum placentae, laxe cum utero cohaerentium, avulsio, ipsiusque placentae contingat separatio. Placentâ ab utero separatâ, vasisque disruptis, sanguis extra ruit in uteri cavitatem, & primo quidem huius parietes admodum extendit, dein vero ad producendum spasmum haud levem proritat, unde orificium uteri aperitur, & tum humores, in ipsius cavo contenti, effluunt, tum ipse foetus a vinculis liberatus expellitur.

§. XXVII.

Causae vero *mediatae*, quae *placentae avulsionem* excitant, ita quam maxime (modo inopiam seu defectum sanguinis & succi nutritii excipias) sunt compa-

comparatae, ut non immediate in ipſum hepar uterinum, ſed mediante tantum utero in illud agant, uteri ſcilicet vaſa extendendo, quod inprimis exuberans & turgeſcens humorum copia, quam plethoram nuncupant, efficere poteſt. Hanc diſtenſionem poſtea ſequitur ſpasmodica fibrarum uterinarum conſtrictio, tamquam perpetua diſtenſionis vaſorum pediſſequa, atque ipſa placentae avulſio. Similem porro effectum praeſtare poſſunt omnes illae res, quae, una cum toto genere nervoſo, uterum ad ſpasmodicas concitare valent ſtricturas, qua virtute pollent vehementes animi adfectus, univerſum ſyſtema nervoſum ſpaſtice conſtringendo, motum humorum velociorem efficiendo, vel hos a peripheria ad centrum repellendio. Dein pariter vehementem humorum orgasmum excitant, ſolidasque nervoſo-membranaceas partes ſtimulando, proxime eiusmodi effectum producere poſſunt remedia ſic dicta *ecbolica* ſeu *abortiva*, item vehementiora emetica, draſtica purgantia, convulſivi & epileptici motus, aliaque plura. Atque haec omnia mediante utero agunt in eius placentam, exceptis contuſionibus paulo gravioribus, aliisve extrinſecus illatis violentiis, quippe quae immediate agere valent in ipſam uteri placentam.

§. XXVIII.

Actionem namque in uterum externe illatam ſequitur tum uteri, tum ipſius puſilli, in arvi muliebris cavo fluctuantis, reactio; ſub hac foetus verſus locum ſeu latus adfectum convertitur, ut hinc villorum placentae fiat diſtenſio, eorundemque cum utero laxe cohaerentium facillima ruptio & avulſio;

qua autem facta, secus fieri haud potest, quin vasa uterina, copioso sanguine turgida, eundem in uteri effundant cavitatem, qui dein una cum foetu, sub his circumstantiis plerumque moriente, tam latera uteri premit, quam carneas eius fibras ad motus vehementes spasticos proritat, vel hos iam praesentes adauget, ut constrictum & ab omni latere pressum hoc viscus, aperto orificio interno, primo cruorem contentum, eumque vel fluidum, vel quiescendo in grumos concretum, postea vero, laxata & patentiori facta apertura, ipsam embryonis seu foetus sarcinam protrudat.

§. XXIX.

Quum vero non semper, neque omnes gravídae embryonis aut foetus violentam & praematuram experiantur exclusionem, sed plures gravidarum omnes causas §. XXVII. relatas, quin imo ipsam contusionem perpessam, impune ferant, non alienum fore arbitror, in peculiaris huius eventus rationem inquirere, quae, me quidem iudice, in singulari uteri ad abortiendum dispositione residet. Haec autem rursus in nimia fibrarum musculosarum, & vasorum uteri elasticorum imbecillitate seu atonia, vel in iusto laxiori villorum placentae cum utero cohaesione simul, consistere videtur. Si enim contusionem paulo attentius consideramus, deprehendimus, quod haec ipsa, in uteri substantiam musculosam & vasculosam agendo, vasa extendat, comprimat, irritet atque copiosiorem humorum adfluxum concitet, ut inde venarum a sanguine copiosius irruente distensio, irregularis humorum per hoc viscus progressus, & spa-

stica

ſtica in variis uteri partibus conſtrictio ſequatur. Vaſa igitur ſi debito gaudent robore, irruentibus his malis proportionate reſiſtere ac cauſas has ſuperare valent, ut nulla oſculorum apertio, nullaque cruoris extravaſatio, quae ſpasmorum & placentae avulſionis cauſa eſt, fieri queat. Quodſi vero ſubſtantia tenera & admodum relaxata, ad ſpasmos ſuſcipiendos ac continuandos prona, neque humoribus adfluentibus decenter reſiſtere, neque irregularem humorum per uterum progreſſum in ordinem redigere, neque etiam ſpasmos vincere valet, ſed vi cedere cogitur, tunc communiter eveniunt conſectaria §. praeced. relata, abortus nimirum, vel praematura foetus expulſio, cum reliquis ſonticis ſymptomatibus.

§. XXX.

Ex huc usque deſcriptis, effectus contuſionis uteri concernentibus, probe ponderatis, prono fluit alveo, quod contuſio abdomini uteroque inflicta, & partus difficilis, & foetus retenti cauſa, licet non primaria & proxima, tamen προηγουμένη καὶ προκαταρκτικὴ evadere queat, idque potiſſimum utero labem inducendo, eundemque ob deſtructionem, quam inferre valet, impediendo, quo minus rite ac debite ſe contrahere, foetusque exitum per compreſſionem promovere poſſit. Si enim vel dilaceratus a contuſione fuerit uterus, vel parum modo, & maxime transverſim, disruptus, tum ſane, ob ſeriem & connexionem fibrarum ſublatam, neque ſeſe verſus omnes plagas contrahere, aut contractionem verſus orificium continuare, neque etiam orificium ipſum ampliari & dilatari, foetusque excludi poterit, ſed puſillus potius

in abdominis cavum, patula hic facta porta, abibit. Atque hoc pariter de ceteris malorum, utero contusione inductorum generibus, valebit; siquidem uterus vel inflammatione correptus, vel gangraenosus, vel scirrhosus, aut alia quadam labe adfectus, semper in officio suo mirum turbatur, constrictio eius ad exturbanda contenta praepeditur, via ad exeundum naturalis, ob tumorem, praecluditur, adeoque foetus omnino retinetur, vel hic ipse irritatus, situm mutando consuetum in minus convenientem, valde difficilem reddit partum, & quae sunt huius generis plura.

§. XXXI.

Quum igitur contusiones, muliebri huic visceri inflictae, tam magni sint momenti, tamque periculosa & saepe mortifera cieant symptomata, numquam profecto, quod iterum iterumqne monendum puto, erunt vilipendendae, licet etiam primo intuitu videantur leves, aut nullum externum violentiae adpareat vestigium, nullusque dolor, vel saltem exiguus, observetur. Uteri enim textura adeo est delicata & intricata, eiusque constitutio, in statu praesertim graviditatis, tam exquisita, ut foecundissima morborum & pertinacissimorum malorum facillime existat causa. Hinc ante omnia aurea illa & arcani instar habenda regula: PRINCIPIIS OBSTA! serio erit inculcanda probeque tenenda, ut clinicus accersitus, omni seposita cunctatione, quia periculum hic in mora, quantocyus occurrat consiliis & remediis, secundum indicationes proficuis ac necessariis, ne cunctando, vel, quod peius, necessaria plane omittendo, ex leviori gravior, & ex simplici compositus, vel plane per accidens lethalis evadat morbus,

sicque

ſicque & ipſa mater & puſillus ſimul de vita periclitentur.

§. XXXII.

His omnibus debite expoſitis, haud abs re fore arbitramur, ſi pauca quaedam ad *curationem* ſpectantia, licet modo generalia, addamus. Quodſi itaque, poſt vehementem uteri ictum aut contuſionem, laeſionis ſuſpicio adeſt, tunc nihil prius nihilque poſterius haberi debet, quam ut tentetur ſanguinis reſolutio, atque hac ratione ſuppuratio, gangraena & alii truculenti praecaveantur effectus. Reſolutio vero obtinetur, dum extravaſati auferuntur humores ſine ulteriori vaſorum & partium laeſione: quod quidem perficitur, ſtagnantem extravaſatam portionem reddendo fluidam, dein vaſa ad abſorbendum vicina laxando, eademque tandem evacuando, ut abſorbere queant.

§. XXXIII.

Primum itaque ac palmarium, ſimulque efficaciſſimum erit *indicatum*, ſanguinis e vena ſecta detractio. Hac enim obtinetur, ut nimia humorum moles, ſeu, ut vulgo loqui amant, plethora imminuatur, vaſa depleantur, extravaſatus cruor a venis abſorbeatur atque abſumatur, vaſa a vi perpeſſa debilitata non amplius diducantur, atque ipſa, ſi nondum adeſt, inflammatio arceatur, vel praeſens forſan extinguatur & ulterior eius progreſſus praecaveatur. Proxime dein cum fructu iniiciendum ſtatuo clysma, quod ſimilem praeſtat effectum, ſimulque ſpaſticam fibrarum & vaſorum ſtricturam demulcendo & exſurgentem calorem temperando inſigniter prodeſt. Tum ea, quae ob contuſionem ſtagnarunt, per ſacculos, fomenta & cataplasmata, emollientibus nupta, ſunt digerenda atque reſolvenda, hisque utplurimum, ceteris paribus, ſuppuratio, corruptio & gangraena atque alia optime arcentur mala.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Atque hactenus quidem proposita externa, si iam praesentibus, vel postea accedentibus symptomatibus gravioribus, nondum effectum praestent desideratum, vel quando mala quidem pristina sensim imminuta deprehenduntur, aut satis graviter adhuc adfligere perseverant, vel nova illis sese adsociant; tunc omnino iteranda erit sanguinis ventilatio, praesertim si plethorica fuerit foemina, sanguinemque in venis alat crassum & multis particulis heterogeneis scatentem. Idem hoc similiter valet de enematibus, cataplasmatibus & fomentis, quibus graviter atque adsidue insistendum, donec malum omne sit sublatum.

§. XXXV. His simul iungenda erunt interna stasin resolventia & discutientia, cavendo tantum ab acribus & calefacientibus. Multo magis autem prosunt quae nimium humorum orgasmum temperant, humidum forsan dissipatum, per potus tenues, leves, subacidos, restituunt, putredinique resistunt. Praeter haec quoque insimul foetus imbecillitati, matrisque viribus labascentibus subveniendum erit analepticis, eaque in usum vocanda methodus, quae secundum individuorum constitutionem aliasque circumstantias optima & convenientissima iudicatur.

§. XXXVI. Denique decubitus sit supinus, vitentur omnia, quae flatus procreant sanguinemque commovent, aut nimium refrigerant. Praesertim quoque pedes cum dorso & abdomine a frigore probe defendantur, aegrotaque aëre puro & temperate calido utatur, & tam animi pathemata, quam reliqua omnia, malum deterius reddentia, cane peius & angue fugiat. Sic enim arcebitur, iuvante DEO, vitae ac salutis nostrae instauratore benignissimo, misere eiusmodi adflictae praematurus vivendi

F I N I S.

Pag. 18. lin. 20. pro *Nam* leg. *Non.*
— 22. lin. 3. post vocab, *reddere* adde: *non.*